

X.2

PROCURATIO COMUNIS GROSSETI

1262 giugno 15, Grosseto

Il comune di Grosseto nomina un procuratore per rinnovare l'accordo stipulato il 27 gennaio 1251 con il comune di Siena.

Originale, ASS, *Diplomatico Riformagioni*, 1262 giugno 15 [c.158].

Regesti: ASS, Ms B 2 c. 508; ASS, Ms B 21, c. 224v.

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCLXII, die XV iunii, V indictione. Cunctis quidem pateat evidenter quod dominus Ildibrandinus de Plumbino iudex communis Grosseti et vicarius domini Bartholomei Thoma de Aste, regii potestatis Grosseti, ut patet de vicariatu publicum instrumentum factum manu mei Gualterii notarii infrascripti, presentia, consensu et voluntate Gualcherini et Guidonis Cignarelli priorum populi communis Grosseti et eorum XII et spetialis et generalis consilii communis Grosseti, cum adiuncta aliorum bonorum hominum de Grosseto in ecclesia maiori de Grosseto ad sonum campane et per bannum missum more solito congregati et ipsi idem priores et XII et consiliarii et alii boni homines qui erant in dicto consilio nomine et vice dicti communis Grosseti fecerunt, constituerunt, ordinaverunt et creaverunt Bondellinum quondam Bondelli presentem et suscipientem eorum et dicti communis syndicum, procuratorem, actorem et nuncium spetiale ad recipiendum pro dicto comuni Grosseti a syndicis communis Senarum confirmationem, ratificationem, approbationem iure societatis et compagnie inite et facte olim inter comune Senarum et comune Grosseti tempore potestarie domini Guerrucci civis Senarum in dicta terra de Grosseto, de quibus apparent publica instrumenta per singula que in ipsis instrumentis continentur et ad recipiendum pro comuni Grosseti a syndicis communis Senarum promissionem et obligationem de dicta iura, societate et compagnia rata et firma habenda et tenenda in perpetuum; et quod dictum comune Senarum ipsam habebit ratam et firmam et attendet et observabit comuni Grosseti pacta et conventiones, promissiones et obligationes que in dicta societate continentur prout in instrumentis dicte societatis plenius continentur; et quod contra ea vel aliquod eorum nullo tempore veniet vel faciet, sub pena mille marcharum argenti; et ad recipiendum stipulationem pene pro dicto comuni Grosseti; et ad recipiendum a dictis syndicis communis Senarum stip [...] pro comuni Grosseti refutationem et absolutionem iuris pene in qua incidisset comune Grosseti occasione dicte societatis usque hodie non servate; et ad recipiendum a dictis syndicis communis Senarum pro comuni Grosseti promissionem de conservando indempne dictum comune de Grosseto et homines eiusdem si dominus rex Maynfredus vel dominus Francischus Synplex eius vicarius in aliquo dampnificaret prefatum comune Grosseti et homines eiusdem communis occasione dicte confirmationis et ratificationis et adprobationis societatis facte ut supra dictum est; et ad faciendum syndicis communis Senarum recipientibus et stipulantibus pro ipso comuni Senarum similem confirmationem, ratificationem et adprobationem et adfirmationem iure societatis et compagnie inite et facte olim inter comune Senarum et comune Grosseti tempore potestarie domini Guerrucci civis Senarum in civitate Grosseti de quibus apparent publica instrumenta per singula que in ipsis instrumentis continentur; et ad faciendum syndicis communis Senarum recipientibus pro ipso comuni promissionem et obligationem de dicta iura societate et compagnia firma et rata habenda et observanda et tenenda in perpetuum; et ad promictendum quod dictum comune Grosseti ipsa habebit ratam et firmam et attendet et observabit comuni Senarum pacta, conventiones, promissiones et obligationes que in ipsa societate continentur prout in instrumentis dicte societatis continentur; et quod contra ea vel aliquod eorum nullo tempore veniet vel faciet dictum comune Grosseti; et ad remittendum et refutandum dictis syndicis communis Senarum recipientibus pro ipso comuni omne ius pene in qua incidisset comune Senarum occasione dicte societatis usque hodie non

servate; et ad liberandum et absolvendum inde dictos syndicos communis Senarum pro ipso comuni recipientes et ad predicta promictendum et faciendum dictis syndicis communis Senarum recipientibus pro ipso comuni ad penam mille marcharum argenti et ad obligandum dictum comune Grosseti et bona dicti communis dictis syndicis communis Senarum et bona dicti communis Grosseti pignorare et ad iurandum et iuramentum recipiendum de predictis servandis per singula promicentes se ratum et firmum habere et tenere quicquid inde de predictis fecerit. Actum Grosseti in ecclesia maiori, presentibus domino Abate quondam domini Manti, Guttifredo notario, Lotthario notario, Uguccione notario et Iohanne Cignarelli testibus ad hec rogatis et spetialiter convocatis. (SN) Ego Gualterius de Adria imperiali auctoritate notarius et nunc scriba dicti communis Grosseti predictis interfui et ut supra legitur scripsi et publicavi rogatus.